

AB
59446



~~Sammlung
z. Anfertigung
von
Ust.~~

No 4039 *

FSS



THESES

4

DE SYLLOGISMO
INFINITO.

Quas præfide

CORNELIO MARTINO ANDVVER-
pio, Logices in inclytâ Iuliâ Professore
publico,


Publicè tuebitur

ANDREAS REVBERS KYRICEN-
sis Marchiacus.

Item

Vindiciæ pro Philosophiæ bipartita diuisione in
Speculatiuam & Practicam, ad ea, quæ contra
theses quasdam nostras nuper disputauit Fri-
dericus Beurhusius Scholæ Tremo-
nianæ Rector.

Habebitur i. Maij.



HELMAESTADII
Excudebat Iacobus Lucius Anno 1594.

4





REVERENDA PIETATE,
SINGVLARI ERVDITIONE, PLV-
RIMARVMQVE RERVM VSV PRAESTAN-
tissimo Viro Domino IOANNI COCO Ca-
nonico Magdeburgensi dignissimo; tùm quoq;
cœnobij Haldeslebiensis præposito vigilantif-
simo, Fautori ac consanguineo suo
obseruandissimo.

hæcce dedicat consecratq; themata

ANDREAS REVBERVS,
Respondens.



Thesis I.



VM in resolutione scriptorum, syllogismi occurrant non tantum finiti sed & infiniti, qui resoluentibus negotium sæpe faceffere soleant, quædam de ijs hic proponenda censuimus.

II.

Infinitos syllogismos dicimus, qui aut vnum aut plures terminos habent infinitos. Quid vero sit terminus infinitus ex libro de interpretatione quiuvis petere potest, vt hic de eo agere nihil sit necessarium.

III.

Porro qui maiorem habent manifestè infinitum, vt etiam qui minorem, non multum turbare aliquem possunt; quare de ijs maxime nobis sermo erit, quibus medium tale est, ij siquidem videntur sæpissime non recte informati esse.

IV.

Quanquam nec in omnibus etiam huius generis illud eueniat. quippe postremæ figuræ syllogismos arbitramur, vt vt medium habeant infinitum, tamen si terminis sint legittime dispositi aliquem non vehementer moturos.

V.

Quoniam enim particula NON ita ponatur in subiecto & maioris & minoris propositionis, qui est medius terminus in hac figura, vt nequaquam ad prædicatum referri possit, nemo fuerit, qui hic negantem aliquam esse suspicetur; cum omnis negatio sit prædicati de suo subiecto.

VI.

Igitur quando hac forma argumentor in Datisi,

Omnes qui non credunt damnantur.

Quidam qui non credunt sunt vocati

Ergo quidam qui sunt vocati damnantur.

nemo sit qui hic aliquam negantem esse, dicat, etiamsi particulam NON & in maiore & in minore inueniat.

A 2

Quare

VII.

Quare de hac figura propter eius euidentiam nihil agemus, ut neque de secunda, in qua itidem ut in tertia parum laboramus.

VIII.

Si enim medius terminus, particulam NON in se continens, qui hic locum prædicati habet in vtraque præmissarum, simpliciter suo subiecto addatur, siue pro negante accipias vtramque, siue pro affirmante semper vitiose concludetur, quia ex puris negantibus in nulla, ex puris affirmantibus in secunda nihil concluditur.

IX.

Et si alteri propositioni præter particulam NON quæ in medio continetur addatur negatio, tamen quod rarius occurrant, & cum occurrunt facile in aliam formam mutantur, minus negotij facessunt.

X.

Tota autem difficultas sita est in infinitis syllogismis primæ figuræ qui ita sunt obuij ut etiam imprudentibus sæpe nobis excidere soleant, quos ignorare, an legitimi sint, an vero secus, non tantum turpe, sed & cum detrimento coniunctum est. De his igitur pauca nunc quædam trademus.

XI.

Pro fundamento autem huius tractationis, repetendum est illud quod in 1. prio. traditur, & omnibus notissimum est, videlicet, in omni syllogismo legitimo, tantum tres terminos esse debere, neque plures, neque pauciores adhiberi posse.

XII.

Est enim omnis syllogismus de quæstione vel conclusione aliqua determinata, cuius duæ sunt partes, videlicet subiectum & prædicatum, quæ aut sibi inuicem affirmando coniungi, aut negando à se mutuo disiungi debent, idque per tertium aliquem

quem terminum, qui propterea medius appellatur.

XIII.

Si igitur medius ille eius sit conditionis, ut sic cum utroque extremorum conclusionis coniunctus sit, ut etiam ea ipsa inter se coniungere possit, affirmantem dabit syllogismum, si autem uni addatur de altero negetur, negabit quoque hac vi extrema, at quando talis ponitur medius, qui & negatur de subiecto & etiam separatur à prædicato, quia is ponitur nullam habere cum utroque communitatem, nunquam ea vel copulare vel separare poterit.

XIV.

Patet hinc ratio, quare ex puris negantibus nihil concludatur, item quare termini ad concludendum quatuor non admittantur, nec non quapropter medius conclusionem non ingrediatur, quod videlicet extraneus sit, & post constitutam quæstionem adsciscatur.

XV.

Deinde etiam hoc notamus, non unico constare vocabulo semper tam maiorem quam minorem, ut nec ipsum medium, quod vel maxime observandum est, quia hoc neglecto, syllogismum infinitum recte cognoscere nequeamus.

XVI.

In hac enim enunciatione, quicumque mundatus est sanguine Christi, hereditatem adibit regni cælestis, tam subiectum quam prædicatum pluribus vocabulis exprimitur, quamquam reuera tantum duo sint termini, qui illam constituent.

XVII.

Iam si medium coagmentatum sit ex pluribus vocabulis, quod bis ante conclusionem poni debet, diligenter attendendum est ne aliter, quam in maiore propositione positum fuerat, in minore repetatur, id est, ne aliquod vocabulum vel addatur vel omittatur, id enim si fiat statim quattuor terminos in syllogismo habebimus.

XVIII.

Hisce ita constitutis, quæ ignorare omnino non debet, qui de syllogismo infinito iudicium sit facturus, dico neque hunc syllogismum

Qui non sunt ex Deo verbum Dei non audiunt.

Impij non sunt ex Deo.

Ergo verbum Dei non audiunt.

neque etiam hunc

Qui non congregant cum Christo, dispergunt,

Hypocritæ non congregant cum Christo.

Ergo dispergunt.

esse vitiosos, sed vtrumque quo ad formam, nam de materia nobis hic nulla est controuersia, perfectissimum esse.

XIX.

Nam, quanquam primus videatur esse ex meris negantibus, & in altero minor etiam negare videatur, quod in prima figura vitiose fieri sciunt illi qui doctrinam de formandis syllogismis vel leuiter tantum attigerunt, tamen neque hoc neque illud verum esse certissimum est, quod vtrobique minor sit affirmans infinita, non autem negans.

XX.

Sane nemo est qui enunciationem hanc **IMPII NON SVNT EX DEO**, quemadmodum & illam, **HYPOCRITAE NON CONGREGANT CVM CHRISTO**, quoties sola & extra omnem respectum ponitur, negare negabit, sed tum toto cælo diuersa est ratio prædicati propter respectum, quem habet in syllogismo ad subiectum maioris propositionis.

XXI.

Quando enim simpliciter extra talem syllogismum ea enunciatio ponitur tum si resoluas in partes suas erit subiectum **IMPII**, prædicatum vero, **EX DEO**, particula **NON** negans,

gans, quæ copulæ SVNT apposita prædicatum de subiecto tollit.

XXII.

Quippe hoc necessarium est, vt in omni negante sit subiectum, sit prædicatum, & præter ista duo adsciscatur particula negans, quæ neutrius sit pars, sed posita ad prædicatum in binaria, ad copulam in ternaria, prædicatum à subiecto remoueat.

XXIII.

Hæc quæ sit essentialis conditio negantis, omnino quoque debebit ita esse informata minor illa de qua loquimur, siquidem pro negante sit habenda, quod tamen aliter se habere iam ostendemus.

XXIII.

Quæstio est in priori syllogismo, an impij verbum Dei audiant, negantur audire, eo medio, quod ex Deo non sint, Ex natura & lege dicti de nullo, si prædicatum conclusionis remoueatur à toto medio, sub medio autem contineatur minor, remouebitur etiam omnino de minore, eritq; legitimus syllogismus in quo euidens sit dictum de nullo talis.

Qui non sunt ex Deo, verbum Dei non audiunt.

Impij non sunt ex Deo,

Ergo verbum Dei non audiunt.

XXV.

In minore subiectum est IMPII, prædicatum constituitur ex quatuor vocibus videlicet NON SVNT EX DEO, nulla est hic alia negans particula, præter eam quæ pars prædicati est, quam propterea hic non facere posse negantem propositionem, patet ex ijs quæ supra de negantis natura dicta sunt.

XXVI.

Esse autem NON SVNT EX DEO prædicatum non autem EX DEO (quod esset si extra omnem respectum

atum poneretur hæc propositio) manifestum est ex maiore propositione, in qua totum hoc NON SVNT EX DEO est pro subiecto.

XXVII.

Etenim supra demonstrauius non tantum huius figuræ primæ, sed etiam reliquarum eam esse rationem vt totum medium, vel quicquid ad constitutionem mediij facit, idem sit in maiore & minore propositione, quod in hoc syllogismo, fieri videmus, vbi totum illud NON SVNT EX DEO. in maiore est subiectum, in minore prædicatum.

XXVIII.

Quare negans non est, quando enim terminus tribuitur termino sine additione alicuius negantis, quæ pars non sit terminorum affirmationem fieri est necessarium.

XXIX.

Dico sine additione negantis, quæ pars non sit terminorum, nam quemadmodum hanc enunciationem, omnes qui non credunt damnantur, absurdum sit dicere esse negantem, quia in ea sit particula negans, quæ pars sit subiecti. Sic etiam hic absurdum est, huius syllogismi minorem, IMPII NON SVNT EX DEO dicere esse negantem, quæ particula NON pars sit prædicati

XXX.

Quare concludimus priorem illum syllogismum ex puris negantibus non esse.

XXXI.

Idem iudicium est de altero illo, in quo propter eandem causam minor non est negans, sed omnino affirmans.

XXXII.

Si enim arguas, Hypocritas dispargere regnum Christi, quia cum eo non colligant, vel Leonem esse brutum animal quia non sit rationale, recte profecto dixeris.

At si

XXXIII.

At si quis ex illo, (quod omnino debet in resolutione alicuius scriptoris fieri;) qui est in potentia, actu velit educere syllogismum, aliter nequeat, quam hoc modo.

quicumq; cum Christo non colligunt, eius regnum dispargunt,

Hypocritæ cum Christo non colligunt.

Ergo eius regnum dispargunt.

XXXIV.

Non potes alia ratione resoluendo concludere syllogistice, ut eadem verba, & mentem authoris retineas. Iam si minorem habeas pro negante, vide quot absurda consequantur.

XXXV.

Primo quod non habeas rationem terminorum: nam qui superius in maiore est medius is mutilate ponetur in minore, quia pars quædam eius materialis intelligitur non esse pars, neque omnino ad illum aliquid attinere, de quo supra est dictum. 2. Minorem habebis negantem in prima figura qui tamen legitime concludat ratione formæ, quando aliter informari nequeat. 3. Conclusio non sequetur partem debiliorem, quod semper fieri debet, ut si vna præmissarum sit affirmans, altera negans, conclusio negationem consequi debeat. Si vna particularis altera vniuersalis, conclusio particularitatem.

XXXVI.

Quod autem hic quidam tentent terminum commutare pro termino, quem æquipollentem arbitrantur, faciunt hoc nonnunquam, ut quum sententiam eius quem resoluunt probè expressisse censeant, sæpe diuersissimam ab illa, sæpe pro vera falsam nobis obtrudant.

XXXVII.

Etenim si tali syllogismo probem infantes non esse virtute præditas, quia non sint boni, resoluens autem in meros negan

B
tes me-

tes metuens incurrere, mutat medium hoc pacto, vt pro NON BONIS ponat MALOS, næ isti mihi magnam faciat iniuriam, qui non dixerim INFANTES ESSE MALOS, sed NON BONOS.

XXXVIII.

Non magis, quam si ex NON TEMPERANTE faciat INTEMPERANTEM. Verum siquidem est, infantes non esse temperantes, falsum autem est propterea, intemperantes esse.

XXXIX.

Sed neque hæc mutatio terminorum legitima est, qua tale infinitum subiectum in diuersam infiniti formam mutatur, hoc pacto, vt negans quæ præposita erat particulæ EST, postponatur in resolutione, nam & illa potest facere, vt vera possit mutari in falsam.

XL.

Si enim dicam,

Quicquid non est corporeum non est coloratum,

Centaurus non est corporeus.

Ergo non est coloratus.

recte & vere concludero, at si quis medium hoc pacto mutet.

Quicquid est non corporeum, non est coloratum,

Centaurus est non corporeus.

Ergo non est coloratus.

Iam is pro minore vera supponit mihi falsam. Certe enim falsum est centaurum esse non corporeum, quum omnino non sit.

XLI.

Quare istis mutilationibus nihil est opus, præsertim cum demonstratum sit formam esse maximè legitimam, etiamsi mutata non sit & non tantum legitimam sed semper & vbi que obuiam quod testatur experientia quotidiana. Et hæc de syllogismis illis infinitis sufficiant.

STV-

STVDIOSAE IVENTVTI

quæ est Helmstadij. S.

Ante biennium, quum munus docendi ab Illustris. principe nostro nondum mihi demandatum esset, habui disputationem, vt plæriq̃ue meminisse potestis, sub præsidio Clariss. viri M. Duncani Liddelij professoris Mathematicum, de Philosophia eiusque instrumentis, cuius paruum quandam particulam nuper in thesibus quibusdam apud discipulos suos tentauit Fride-ricus Beurhusius scholæ Tremonianæ Rector, eæ quæ a typo-grapho descriptæ ad nos etiam perlatae essent, equidem facile tuli, vt quæ ego publice omnibus proposuissem ille quoque examinaret, hoc tamen fui miratus quod vir bonus istis ratio-nibus, quæ ita prorsus nihil ad rem faciunt, moueri ipse potue-rit, & alios moueri posse sperarit.

Quumque vt intelligo, totam penè ætatem in P. Rami placitis occupatam habuerit, non repperisse eum firmiora, quæ aduersarijs suis opponeret. Nam vt me & mea præteream, quæ contra Philippum Scherbium, excellentissimum P. H. & M. Danielis Crameri ingeniosissimi iuuenis doctas theses profert, per Deum immortalem quæ & qualia sunt? pene eo adducor vt arbitrer ipsum Beurhusium sibi ipsi hic non credere; vt vt sit veritati ego præuaricari neque possum, neque si possum debeam. Quare quæ ille thesibus quibusdam aduersus nostra illa profert, paucis hic refutare est animus, nihil delibabo existimationi ipsius neque enim mihi placent qui personas insectantur, rem ipsam omittunt, ij quum sementem conuitorum serant, totam messem metunt, *ἐλέγχ' ἐλέγχε καὶ γὰρ εἰδὲι λοιδορεῖν ἀνδράς ποιητὰς ὡσπερ ἀρτοπωλίδας*, inquit ille apud Aristophanem, Adscribam au-tem illius ipsas theses, vt quid ille dicat quid ego, rectius intel- ligatis.

XX. Disputatio.
Reliquarum aduersus artium principia
& leges &c.

XXXVI.

Porro de discendi modo, & inde deducta philosophiæ diuisione, non est quod turbemini ijs placitis, quæ M. Cornelius Antuerpius repetijt.

XXXVII.

Vt enim homo non ad inanem speculationem, sed ad cognoscendum simul & agendum natus est; ita res quoque omnes simul cognitionem & actionem requirunt; ut ita homo verus ac utilis rerum à Deo ipsi subiectarum sit Dominus.

XXXVIII.

Iam mens & efficiens est, & subiectum eadem ratione quavis in quouis rerum genere noticias & actionum formas per sensus recipiens & gubernans: atque ita speculatur simul & operatur illas attrahendo, meditando, dirigendo & agendo, donec naturæ vi artis directione & exercitationis frequentia usum efficiat.

XXXIX.

Itaque in omnibus coniuncta est theoria & praxis, illa præcipuè in documentis, hæc in exercitatione occupata, atque inde existit motus & Res motu facta, quæ notio in effecti Topico logicè distinguitur, & ita Theoria praxisque in communi usu sumuntur.

XL.

Et quidem natura ipsa illorum, è quibus artes extructæ sunt seminum distinctione, indeque nata lex *καθ' αὐτὴν* postulat, ut artes oppositis essentijs, finibus & subiectis distinguantur.

XLI.

At Theoria & praxis tùm naturâ sunt coniunctæ, ut causa & effectum, tùm non artis essentiam, finem & subiectum, sed
quen-

quendam adiunctum & occupatum modum significant.

XLII.

Ergo in scholis confictum, non ex usu deductum est illud tam modi in discendo, quam Philosophiæ discrimen, quod animus informetur 4. perfectionum habitibus Instrumentali, *παιητικῶ πρακτικῶ & θεωρητικῶ*. Atque inde adhuc distorta separatione quod Philosophia sit proprie alia *θεωρητικῆ* qua *γνωστικὸν* alia *πρακτικῆ* qua *ὀρεκτικὸν* perficiatur, instrumentalibus seu logicis inde exclusis, & *παιητικῆ* ad *πρακτικῆν* relata.

XLIII.

Mens enim ut Domina *πρώτος* ac proprie logicis, *δευτέρως* autem reliquis, imo ipsa sola omnibus notionibus actionumq, ideis instruitur: quas ipsa deinde tum ad seipsam, tum ad *ὀρεκτικὸν* gubernandum dirigit, sic gignens Motus, seu operationes & res motu factas, sc. sacras, prophanas, Dialecticas Grammaticas &c.

XLIV.

Et certe tam eæ artes, quæ Theoreticæ dicuntur in omnibus vitæ negotijs ac in victu cultuque suas operationes seu motus, & res motu factas sub sensum cadentes habent, quam eæ quæ practicæ nominantur.

XLV.

Præcticos quidem peculiariter vocant politicos, sed id Synecdochen habens, discrimen artis nullum facit.

XLVI.

Ac mira est in ista diuisione discrepantia, artes ex diuersis principijs deducuntur, quasi alia principia ad alias artes nihil attingeant. Deinde quæ sub principio coniunguntur, sub generibus segregantur ut quæ attribuuntur tum experientiæ vniuersali eæ partim sunt sciētia, partim artes, quasi experientia illa non posset omnes efficere certas, quæ vero noticiæ principiorum & Intellectui ordinis earum vna fit Theorica, altera

practica: quasi illa duo principia, in vtraque Theoriam & praxin
efficere nequeant.

Hæc vidisti lector, quæ tu cum nostris comparato. Philo-
sophiæ duas partes esse diximus, primam quam appellant spe-
culatiuam, quæ totam rerum vniuersitatem nostræ cognitioni
siue speculationi subiiciat, eius causas siue affectiones, siue pro-
prietates demonstrat, propter solam & vnicam veritatem, in
qua mens nostra tanquam perfectione sua conquiescat, neque
ad aliquam actionem siue effectum progrediatur. Alteram
nominauimus practicam a fine, quæ non habeat sibi substratas
res omnes sed humanas actiones quatenus in ijs natum est re-
fulgere honestum, & decorum, quod suum subiectum non
contemplari principaliter, sed agere aliquid & operari in illud
doceat, ipsumque illud dirigere ad suum finem, quæ non sit
nuda veritatis cognitio sed actio vel operatio, quæ summo bo-
no ciuili pro facultate nos frui faciat.

Hanc ita nos diuisionem fecimus secundum duas animæ
vires principales, videlicet mentem & voluntatem. Quum enim
Philosophia, vt Cicero inquit, animæ sit medicina, & illa ab v-
traque facultate, nimis quam vehementer laboret, vtrique eti-
am medicina faciendâ fuit, ergo sua perfectione mentem, sua
voluntatem perficere oportebat, mentem quidem siue intelle-
ctum veritate, in qua sola quiescit tanquam fine & bono, volun-
tatem autem actione secundum virtutem, quod illa nisi hac di-
rigatur, nunquam ad bonum suum perfectionem, venire queat.
Hanc diuisionem, quam ego non ex placitis meis promo, sed
quæ totam pene antiquitatem Peripateticam auctorem laudat,
sufficientem dicimus multis de causis i. obiecta siue subie-
cta habet diuersa. Speculatiua enim agibile subiectum non re-
quirit quatenus talis est, neque enim cælo aut elementis, aut
reliquis quæ *ἄσπερα* subiiciuntur, agere aliquid docemur, quod ea
arbitrio

arbitrio nostro nō pareant, vt vllā mutationem à nobis aut motum sibi metuant, id enim esset absurdissimum, sed tale subiectum, quod quum sit ens per se, nostro arbitrio non subijcitur, habens principia (Deum excipio) & affectiones, tantumque consideratur quatenus illis substernitur, non etiam alia ratione.

At practica Philosophiæ pars sine agibili subiecto esse nulla ratione potest, docet enim quomodo dirigendum, disponendum, & formandum sit illud ipsum subiectum ad finem, ita vt motum & mutationem necessario illi inferat. Quum enim bene beateque, vivendi rationem tradat, necessario mores siue actiones nostras ita informari, mutari & dirigi oportebit, vt huius boni sint capaces, quemadmodum faber ferrarius, nisi multis modis in subiecto suo operetur, fingendo & refingendo, nunquam ex eo aut ensem, aut galeam faciat. Non igitur, quemadmodum speculatiuus Philosophus, subiectum suum considerat quatenus ens per se nostro arbitrio non subditur, sed quatenus subditur, neque quatenus principijs & affectionibus substernitur, sed quatenus ad finem suum, quæ est actio, dirigitur, sicuti idem ille faber quem diximus ferrum non considerat ratione principiorum & affectionum, ex quo mercurio & quali sulphure sit compositum, sed quatenus ad finem suum, & effectum est aptum.

Altera est differentia à fine, quemadmodum enim subiectum speculatiuæ Philosophiæ, puta cælum, elementa, cogere aut mutare non est nostræ potentiæ (nisi in pauculis quibusdam quod per accidens contingit,) ita neque ad finem aliquem eiusmodi, qui sit actio, appetitur, sed nuda cognitione siue scientiâ terminatur, in qua est veritas, mentis nostræ, siue intellectus perfectio v. g. qui quid sit terræ motus, quid tonitru, fulmen. &c. quærat quomodo fiant, item quæ causa sit fluxus & refluxus maris, & vt ille canit, errantem lunam, solisque labores.

Vnde

Vnde hominum genus & pecudes, vnde imber & ignes
Arcturum pluiasque hyadas, geminosque triones,
Quid tantum oceano properent se tingere soles
Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet &c.

Hæc inquam propter actionem aliquam nostram inquiri, nemo profecto dicat, nisi qui peponem pro corde habeat. At vero practica Philosophia, ita finem illum, videlicet actionem respicit, vt tota in hoc sit occupata, imo ab eo constituatur, eoque fit, quod quemadmodum speculatiuus circa suum subiectum maxime & accuratissime versatur, practicus illud tamen superficialiter tractet, totus in fine, quem sibi proposuit acquirendo, id est, omnis in eo, vt subiectum suum actiones nostras disponat ad actiones secundum virtutem. Huc omnia ea spectant, quæ ab oratoribus, & reliquis, de virtute crebræ fiunt commonefactiones, ad eam crebræ adhortationes, quas qui speculatiui dicat, ille virtutem verba esse putet.

Ex his duabus differentijs necessario educetur tertia, quam nos rationem progressus dicemus, vbi enim aliud ponitur obiectum, alius finis, etiam alia quærentur media, quibus in diuerso obiecto ad diuersum finem deueniatur, quod ex ijs quæ diximus, satis liquere potest, quare hic latius non persequemur, potuissimus etiam adhuc plures differentias ponere, sed hæc sufficiunt.

Hæc mi lector à nobis tradita fuit Philosophiæ diuisio, accipe nunc quid contra adferat Beurhusius. Monet ne discipulos suos moueant, ea quæ à nobis allata sunt, addit causam, quia theoria & paxis sint coniuncta in omnibus explicat hoc 38. thesis, quæ sic habet. Iam mens efficiens est & subiectum eadem ratione quasuis in quouis rerum genere notitias & actionum formas per sensus recipiens & gubernans, atque ita speculatur simul & operatur illas attrahendo, meditando, dirigendo & agendo, donec naturæ vi artis directione, & exercitationis frequen-

frequentia habitum efficiat. Hæc ille & totidem verbis, ex quibus videre est, quid is hic actionem vocet. At, inquam, breuiter respondeo, Beurhusium in sophisma incurrere, quod ignorantia Elenchi, si pace quorundam liceat, vocem, non enim nostris contradicit Beurhusius, quando quod nos affirmamus idem de eodem respectu eiusdem non negat. Ponimus duas Philosophiæ partes subiectis & fine diuisas etiam modo procedendi, eas à fine nominamus speculatiuam alterã, practicam alteram. Si negat Beurhusius esse diuersas, fundamentum nostrum subruat: Demonstret idem subiectum eadem ratione considerari ad eundem finem, neque hic neque ibi esse aliquid disconueniens. Et quemadmodum actiones nostras, prauæ quæ sunt, in hac mutare docemur, easque dirigere ad honestatem, sic etiam in illa eadem ratione nos doceri in omnia subiecta agere, puta motum cœli sistere, fluminum lapsus detinere, nimbos, grandines, fulmina, tonitrua & quæ nobis sequius quam naturæ videantur, omnia pro nostro arbitrio disponere. Sed nihil ille horum, tantum arguit, quia mens agat, propterea in omnibus coniunctam esse theoriam & praxin, & per consequens theoreticum esse practicum. Eadem ratione dicat, Iurisconsultum qui nunquam causas egerit, esse practicum, Medicum qui ægrotum non viderit esse practicum, seruum qui voluntatem domini sciat, neque secundum eam faciat, esse tamen bonum practicum, nam puto etiam in eo coniuncta sit cum theoria praxis, tale vitium scio ipse Beurhusius in suis animaduertet. Quæ igitur *τὴν πρᾶξιν*, diuersissime intelligat Beurhusius à nobis, qui non secundum illam praxin, quam iste praxin vocat, diuiserimus Philosophiam, sed secundum actionem de qua superius dictum est, omnibus liquere potest, nihil illum contra nos dicere, imo si quid nihilo sit minus, quare per hanc curam mihi quieto esse licet. Sed tamen quia de praxi illa, quid dicat, magis quam quid velit dicere, audimus, verba eius paululum consideremus, ne sese à nobis iniuria affici queratur.

C

Quid

Quid igitur adfert Beurhusius? *ut (inquit) homo non ad inanem speculationem, sed ad cognoscendum simul & agendum natus est &c.* Primo accipio quam dat differentiam inter speculationem & praxin; statuit enim quandam speculationem quæ sine praxi esse possit, sed ita tamen ut futura sit inanis nisi hæc addatur, causa est quod sequitur homo *verus & utilis, rerum a Deo ipsi subiectarum dominus esse nequeat*, quando igitur additur speculationi praxis, tum ex sententia Beurhusij speculatio erit ipsa cognitio, praxis autem actio, quæ duo se mutuo respiciant, ut causa & effectum, ex th. 41. Hanc ita ille differentiam ponit ut videre est, quam tamen mirificè turbat in explanatione huius suæ sententiæ, ait enim th. 38. *Speculari mentem & operari simul quasuis in quouis rerum genere notitias attrahendo meditando, dirigendo & agendo donec naturæ vi, artis exercitatione & frequentia habitum efficiat.* Hic ego etiam si face & licio quæram, tamen nullam actionem, quæ diuersa sit a speculatione inuenire possim, notiones attrahere meditari dirigere, non est actionis sed speculationis, quod sane manifestiss. est, & ipse Beurhusius non neget, quoniam sciat talem attractionem, meditationem, directionem &c. nostram cognitionem gignere, nisi enim concipias notiones, quæ operatio est prima mentis, eas disponas quæ secunda, & ubi opus est discurras, quæ tertia, nulla fuerit speculatio nulla cognitio, iam quæ hic est actio? actio inquam diuersa a speculatione; alias enim ipsa speculatio est actio mentis, quam si intelligat Beurhusius, næ ille videat quid agat, qui genus ponat effectum speciei, qui speculationem & cognitionem dat sine tali actione, in utroque speciem sine genere. &c. Sed age non hoc vult, !quanquam legentibus hoc velle videatur. Diuersam vult actionem quæ ad speculationem se habeat ut effectum ad causam, at, inquam, ubi illa est in notionum illa attractione, meditatione, directione, actione? nusquam certe gentium, nisi notiones

tiones illæ sint practicæ, quæ actionem tanquam finem respiciant, de quibus antea nobis dictum fuit, exemplo res fiet illustrior, quæro quare animalia quædam sint longæua, inuenio causam quod humidum habeant, quod non faciliè exsiccetur, neq, frigescat, item quare deficiat luna, quia inter eam & solem diametraliter interponatur terra, intercipiens lumen solare &c. Hic & conceptus simplicium notionum & compositio, & discursus, speculationis sunt. quænam igitur reliqua est actio, siue praxis effectum illius speculationis? nulla, nam cognita causa quiescit ille qui quærebat: Quare concludo falsum esse in omnibus coniunctam esse theoriam & praxin, quod nimis frustra Beurhusius astruere conatur. Neque valet si quisquam obijciat exercitationem esse praxin, cuius mentionem facit in eadem thesi, inquiens, *donec natura vi, artis exercitatione & frequentia habitum efficiat.* Iterum enim quæro quid sit illa exercitatio, an diuersum aliquid ab ipsa speculatione, an idè. Diuersum nihil dari iam ostensum est. Idem si sit, frustra opponitur, loquor de speculatiuis scientijs. Documenta enim in speculatiua scientia sunt ipsa theoremata, quæ vbi demonstrata sunt, quod speculationis est, nulla superuenit exercitatio alia, sed dulcis quædam in cognita veritate quies, quemadmodum hoc manifestum est in quæstione super fluxu & refluxu maris, Euripi in totis Physicis, Astronomicis, Metaphysicis &c. & ita nequaquam hæ practicæ sed speculatiuæ sunt doctrinæ, patetque ratio quare hoc nomine vocentur, totus igitur syllogismus qui 39. 40. 41. thesibus proponitur corrui. Theseos etiam 42. veritatem quæres, in ipsius contradictoria, quid est ipsam rerum naturam oppugnare, si hoc non est? Itan' conficta sunt illa in scholis & vnicus est habitus instrumentalis ποιητικός, practicus & theoreticus? de posterioribus dictum est, de prioribus quid dicam? etiam sartores, sutores, cerdone &c inter Philosophos sunt? apage non istis calonibus hæ sambuca conuenit, illi sibi

opus quoddam efficiendum proponant, quod relinquatur post operationem, requirant materiam corpoream, instrumenta item corporea, atque formando illam materiam ad finem suum, Philosophis molesti non sint, hic certe verum est, propter vsum inuentas esse artes, sunt enim vt Arist. lib. i. Metaph. docet, propter indigentiam natæ, quæ theoreticis non propter indigentiam sed admirationem operam dare cæperint homines ingeniosi, quare si tale principium statuendum est quale Beurhusius contra clarif. Scherbium statuit, ponemus hic admirationem non vsum. Porro de instrumentali habitu iam dicemus thesi 43. quæ nimis, non dicam dolo, est mirabilis. Ait enim mentem dominam *πρώτως* ac proprie logicis, *δεύτερως* reliquis notionibus instrui. Tuam fidem Beurhusii loquerisne ex animi tui sententia, *πρώτως* inquis mentem informari logicis, *δεύτερως* autem reliquis. Scio intelligere te quænam sint primæ, quænam secundæ intentiones, eoque magis miror. Mi Beurhusii primæ mentis notiones, logicæ nunquam sunt, futurum enim esset, vt res tractaret logicus, & scientias ipsas, non autem modum sciendi. Prima enim notio est quæ statim ab ipsis rebus desumitur, nimirum idæa quædam in mente rerum ipsarum, quæ extra mentem subsistunt, puta idæa animalis, bouis, hominis. Hisce ipsæ res quæ significantur statim extra animum respondent. At secundæ intentiones, sunt nomina nominum, conceptus conceptuum, vt genus, species, subiectum, prædicatum &c. Hi sunt conceptus a nostra mente ita conficti, vt mensuræ essent, seu pondera, quibus primæ notiones rectius digerentur. Iam primi conceptus non habent esse suum a nostra mente, nam cælum, elementa, animal, lapis, sunt, etiamsi humanus nullus sit intellectus. At genus species, subiectum prædicatum, propositio &c. vbi sunt extra mentem? nusquam, adeoque totum illorum esse a mente, vt rectissime docet Zabarella. e. g. animal
extra

extra meam mentem non est prædicatum, neq. esse potest, sed in
mea mente est vel esse potest si menti ita videatur. Iam si
esset de essentia animalis, utique sequeretur, 1. quod extra men-
tem animal prædicati naturam haberet. 2. quod nunquam fie-
ri posset subiectum eius, cuius sit prædicatum: at utrumque
falsum est, potest enim aliquando fieri, ut idem quod subijcitur
vere de eodem subiecto prædicetur, ut homo est risibilis; risibile
est homo, omne animal sentit; quicquid sentit est animal: benefi-
cio igitur mentis habet quod sit vel subiectum vel prædicatum.
Idem iudicium esto de reliquis. Iam si primas notiones tractat
logicus, aut omnes tractat, aut quasdam, si omnes consequens
erit totam Theologiam, Iurisprudentiam, Medicinam & Phi-
losophiam in logicis tractari, quo quid absurdius dici po-
test? Si aliquas, tantum habebit illas quas tractat pro sub-
iecto, quod contradistinguetur reliquis artium & scientiarum
subiectis, quemadmodum subiectum physicæ, contradistin-
guitur Mathematicæ subiecto, & quemadmodum physicus sui
subiecti adfectiones per causas suas considerat, Mathematicus
sui, neque misceri debent istæ scientiæ: Sic etiam circa su-
um illud subiectum tantum occupatus erit logicus neque ac-
commodari poterit reliquis, quæ quæ falsissima sint, falsum
quoque est logicam circa primos conceptus primo versari, vel
conceptus primos esse logicos. Quod si quem moueant loci, in
quibus quædam sunt primæ notiones, is sciat mutuatitios esse
plerosque, causæ, totum, diuersum &c. ad Metaph. spectant pri-
ma origine. Notationem, coniugata format Grammaticus, nisi e-
tiam hæc tanquam primas notiones logicas in mente hæere
dicat Beurhusius, quod si fecerit, pro auctario addat locum a te-
stimonio, an etiam illum tanquam primum conceptum men-
tis logicum cognoscere possit. Deniq, mi lector adeo hæc sunt
manifesta, ut mirer intueniri, qui contradicere audeant, reliquas

theses, quia ex præcedentibus facile apparet, quam sint vitiosæ,
omitto, neque enim aut animus est, aut tempus hæc la-
tius persequendi, procul dubio rectius facturus, si
in rebus magis serijs operam hanc collo-
cem, tu vale.

F I N I S.



59 446

AB 59 446


ULB Halle 3
002 631 334



S. 6.

W. A.






No 4

No 4





THESES
DE SYLLOGISMO
INFINITO.

Quas præside
CORNELIO MARTINO ANDVVER-
pio, Logices in inclytâ Iuliâ Professore
publico,

Publicè tuebitur
*ANDREAS REVBERS KYRICEN-
sis Marchiacus.*

Item
Vindiciæ pro Philosophiæ bipartita diuisione in
Speculatiuam & Practicam, ad ea, quæ contra
theses quasdam nostras nuper disputauit Fri-
dericus Beurhusius Scholæ Tremo-
nianæ Rector.

Habebitur i. Maij.



HELMAESTADII
Excudebat Iacobus Lucius Anno 1594.

